

## . 1357-1357- OFP - Acta Capitulum Generalium apud Venecias Celebrati

In nomine patris et filii et spiritus sancti. Amen.

Hec sunt acta capituli generalis apud Venecias  
celebrati anno Domini · M<sup>o</sup> · CCC<sup>o</sup> · LVII<sup>o</sup> ·

### **Iste sunt inchoaciones.**

Inchoamus hanc: In ordinario quod de beato Yvone presbytero et confessore fiant tres lectiones per totum ordinem · xiiii · kalendas iunii in die scilicet beate Pudenciane virginis.

### **Iste sunt approbaciones.**

Approbamus [hanc]: In capitulo de capitulo generali, ubi dicitur: qui durante capitulo generali vices magistri obtineat in omnibus duntaxat, que ad tractatus et acta pertinebunt, deleatur illud, quod sequitur: et extra capitulum locum suum teneat, et dicatur sic: locum magistri, ubique teneat et fidelium dicat et licenciam loquendi tribuat et possit concedere litteras de beneficiis ordinis ut magister. Et statim sequatur, prout ponitur ibi: sed in diffinicionibus unam tantum vocem habeat. Et hec habet duo capitula.

Item. Approbamus hanc: In ordinario in rubrica de festo corporis Christi, in fine addatur sic: Quod si in octavis corporis Christi festum simplex vel maius occurrerit, in sequentem immediate sextam feriam transferatur, preterquam festum Iohannis baptiste et apostolorum Petri et Pauli. Et hec habet duo capitula.

Item. Approbamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: Volumus autem, quod electio predicta spectet tantum ad priores conventuales et duos fratres ad hoc idem electos de quolibet conventu, addatur sic: pro qualibet electione fienda de priore provinciali, si pluries fieri contigerit, noviter electos. Et hec habet duo capitula.

### **Iste sunt confirmaciones.**

Confirmamus hanc: In capitulo de electione prioris provincialis, ubi dicitur: Quod si prior provincialis in capitulo generali vel medio tempore usque ad capitulum provinciale vel in ipso capitulo provinciali mori vel amoveri, addatur statim immediate: vel quocumque alio casu infra idem tempus aliquam provinciam priore provinciali carere contigerit, ad ipsum provinciale capitulum electio pertinebit. Et hec habet tria capitula, et per presidentes in constitutionibus adnotetur.

### **Iste sunt ordinaciones.**

Inprimis cum ex multitudine mandatorum frequenter confusio inducatur, quapropter in paucis reductis ad unum, ubi lex pendere universa dignoscitur, nec proferre nec iura condere nova prodest, ubi antiqua sufficere dignoscuntur, hinc est, quod nos ad antiqua iura nostra in scriptis statutis et constitutionibus nostris districtius expressa, que pro dolor per contrariam corruptelam ubique quasi totaliter abrogaverunt, quasi ad tocium sanctitatis speculum expressius et exemplar cordis oculos attentius convertentes, mandamus ac districte imponimus sub penis gravibus inferius explicandis prioribus provincialibus et conventualibus et eorum vicariis et universaliter presidentibus ordinis universis, quatenus predictas constitutiones nostras quoad singula precepta contenta in eisdem et in actis capituli Bisuntini<sup>1</sup>, per priores provinciales, qui tunc diffinierunt, serius repetita et in presentibus confirmata utpote, quod omnes fratres communitatem tam chori quam refectorii sequantur indefesse iuxta sanctam intencionem et normam reverendi patris magistri ordinis, tam de die quam de nocte; et quod inclinaciones debito modo fiant; et quod fratres ieiunium sancte crucis exacte observent, nec lineis utantur ad carnes, nec dormiant nisi secundum formam in constitutionibus datam; quod silentium horis et temporibus statutis arctissime teneant; quod fratres per villam, maxime ad loca religiosarum vel aliarum [mulierum] nullatenus discurrere permittantur, nec copulentur similiter, ibi vel alibi, nisi saltem altera pars copule sit etate et moribus matura et vita sana; quod omnes habitum quoad materiam et formam, sicut dictant constitutiones omnino deferre cogantur, et potissime in capis vilitas observetur, alioquin ipso facto vestibus sint privati; quod fratres nullatenus intra vel extra [conventum] ad comestionem carniarum seu carneatorum nisi in casibus constitutionum licencientur, nec potagia vel pulmenta pingua quovis colore falso invento in refectorio comedantur; quod fratres ab expensis excessivis, maxime studentes et lectores, per negacionem omnis licencie retrahantur; et quod pecunie et cetera bona appropriata fratrum nullo modo in manibus personarum extra obedienciam nostri ordinis existencium, sed magis in communi deposito custodiantur, alioquin dicto appropriato sint privati et conventibus, ad quos pertinent, applicentur; et quod secreta ordinis, scandala et puniciones seu pene fratrum nullatenus personis extra obedienciam ordinis revelentur; nec promociones fratrum vel status eorum per quoscumque, qui non sunt de ordine procurentur; et quod infirmis sollicite provideatur, et per presidentes charitative visitentur; et quod singuli fratres saltem semel in anno rationem fidelem et integram reddere suis superioribus per preceptum de suo appropriato et expensis, quas fecerunt, teneantur; et si aliquid, diabolo suggerente, celaverint, tanquam proprietarii puniantur, privati appropriato ipso facto; nec presidentes conventuum absque prioris provincialis licencia, vel ceteri fratres absque presidencium in conventibus vel suorum superiorum auctoritate et licencia aliquid de bonis communitatis vel sibi appropriatis, libris, iocalibus vel aliis distrahere vel vendere audeant quoquo modo, totum si factum fuerit oppositum, irritantes; et quod omnes rasuram, ut religiosos decet et constitutio docet, ferre cogantur.

<sup>1</sup> Cf. supra pag. 347 l. 24 sqq.

Mandamus igitur cunctis ordinis presidentibus, quatenus, ut prefertur, omnia et singula prefata faciant a sibi subditis inviolabiliter observari, et in seipsis studeant diligentius observare, fratrem omnem, quem invenerint dictarum regule et constitutionum transgressorem quantum ad culpas, quarum pena taxatur et determinatur in ipsis, penis vero infrascriptis quantum ad penas, que arbitrio prelatorum relinquuntur indispensabiliter puniendo: alioquin postquam legitime hoc constiterit, in virtute sancte obediencie precipimus prioribus provincialibus ac eorum vicariis necnon et diffinitoribus capitulorum provincialium universis, quatenus omnes presidentes ordinis sibi subditos, quos repererint in hoc remissos et negligentes, statim in sui confusionem et ceterorum exemplum absolvant a suis officiis in penam, eos penis aliis, secundum quod plus et minus deliquerunt, per acta capitulorum suorum provincialium puniendo et publice denunciando punitos, rogantes magistrum ordinis reverendum, quatenus omnes provinciales, qui in hoc fuerint negligentes tanquam sue professionis immemores et etiam sui ordinis destructores absolvat indilate, capitulo generali nullatenus expectato. Sane cum obstinata duricia transgressorum sine gravibus penis arctari nequeat a vetitis, nec induci ad imposita et mandata, hinc est, quod pro ipsorum reductione salubri contra transgressores predictos de penis debitis curavimus providere. Propter quod volumus et mandamus, quod deficientes in choro vel refectorio sine licencia vel de quovis officio deficientes, vel silentium frangentes abstineant a pictancia vel a vino; et quod non dicentes divinum officium aut non inclinantes debite, postquam super hiis fuerint tercio reprehensi, in pane et aqua abstineant indispensabiliter una die; et quod utens lineis et iacens extra dormitorium aut licenciatus ad comestionem carniarum aut carneatorum intra vel extra [conventum], vel ad villam, maxime ad loca mulierum, aliter quam dictum sit, infra decem dies penitentiam faciat gravis culpe.

Item. Mandamus ac districte imponimus prioribus provincialibus et diffinitoribus capitulorum provincialium, quatenus singuli studeant in suis provinciis studium reformare seu potius innovare, ordinantes et in virtute sancte obediencie mandantes, quatenus nullus frater noviter transiens de studio philosophie ad studium theologie audeat studere vel legere ex proposito et morose in doctrinis vanis et mechanicis, quoad usque ad minus studuerit et legerit sic, quod non habeat ignoranciam terminorum et communium conclusionum et vere doctrine, et in doctrina sancti doctoris et doctorum nostrorum antiquorum et aliorum, et potissime sanctorum, ne ipsi ignorantes, quid [est verum] et quid falsum, varios, quod absit, prolabantur in errores, falsa pro veris et certis, quod est errori proprium, approbando.

Idem sub eodem tenore precepti volumus de studentibus Parisius, Oxonie et aliorum studiorum generalium intraneis vel extraneis, necnon lectoribus, cursoribus et sublectoribus, et generaliter studentibus ordinis universis, nisi postquam fuerint, ut prefertur, in doctrina sana et communi et non suspecta sufficienter fundati et informati districtius; imponimus omnibus lectoribus principalibus et cursoribus et magistris studencium in theologia, ne ipsi questiones mere philosophicas aut logicas audeant disputare vel tractare, sed potius theologicas et morales, et ne ipsi vel alii in sermonibus vel lectionibus insistant coloribus et rithmis, nisi paucis, cum hoc potius concernat mimos et ioculatores quam doctores et predicatores. Volentes insuper, quod lectores singulis diebus legibilibus suas continent lectiones, nec nominetur lector vel sit, nisi ad minus legerit ter in septimana; omnes enim oppositum facientes volumus per preceptum absolvi et per presidentem in conventu privari omnibus privilegiis, libertatibus, graciis alias lectoribus dari consuetis.

Insuper ordinamus, quatenus ad aliquam lecturam nullus promoveatur nisi dignus, nec ad studium mittatur aliquis studens, et maxime extra provinciam suam, nisi primitus in grammaticalibus, divino officio, regula, ordinario et constitutionibus fuerit informatus ad plenum, mandantes prioribus provincialibus universis sub pena absolucionis, ne aliquem fratrem promoveant ad studium Parisiense vel quamcumque lecturam, nisi prius divinum officium sciverit complete dicere et psalterium complete et perfecte.

Nec volumus aliquem pro studente Parisius, Oxonie, Kantebrigie quomodolibet deputari nec gaudere titulo vel honore illorum studencium, nisi ad minus steterit ibidem per annum, secutus inibi actus scolasticos diligenter, privantes provinciam omnem iure mittendi illo anno Parisius vel ad quodcumque studium generale, que fratrem insufficientem repertum miserit ibidem; et nichilominus ille sic insufficientis ab omni studio simpliciter absolvatur, districtius inhibentes, ne aliquis frater rediens de studio generali fiat prior, nisi fuerit lector tribus annis; rogantes reverendum ordinis magistrum, ne aliquem exponat Parisius, Oxonie vel Kanthabrigie ad legendum, nisi primitus titulo studentis honoris steterit ibi per annum ad examen.

Item. Inhibemus fratribus universis, ne fratres quoscumque ad quecumque monasteria monialium licenciare presumant nisi causa predicacionis vel alia iusta causa examinanda diligentius per discretos, penam gravis culpe fratribus omnibus et singulis licenciantibus imponentes, quam si infra decem dies non fecerint, eos pene gravioris culpe volumus subiaccere. Sub pena vero carceris prohibemus fratribus universis, ne quecumque alia loca ab ecclesia dictorum monasteriorum intrare presumant, nisi solum causa confessionis alicuius infirme graviter audiende, in quo casu et in omni alio sub eadem pena carceris precipimus fratrem sic se habere, quod semper a socio et aliis honestis personis clare possit videri.

Item. Volumus et ordinamus, ut ex ordinario habetur, et ut dissonancia, que ex opposito oritur, recidatur, quatenus cantor finitis psalmis reincipiat antiphonam, et fratres ceteri prosequantur, quod diligenter a suis officialibus faciant priores in suis conventibus diligentem observari.

Item. Ut magistris et bacalariis Parisiensibus omnis dissensionis occasio subtrahatur, volumus et ordinamus, quod quodcumque infra eundem annum contigerit Parisius duos bacalarios nostri ordinis legere sentencias, quorum unus legat sentencias in estate, alter vero in hyeme, ille qui in hyeme legerit sentencias, primo ad

magisterium presentetur, alter vero quibuscumque bacalariis annis sequentibus legentibus in presentacione [pro] magisterio preferatur, nisi forte in predictis per sedem apostolicam contigerit aliter dispensari. Adicientes ad predicta, quod multorum bacalariorum intraneorum licencia et expedicio ad magisterium graciosam non tollit nec preiudicat expedicioni intraneis debite de rigore. Et idem per omnia dicimus de bacalariis extraneis, et volumus in posterum totaliter observari.

Item. Volumus et ordinamus, quod in ordinario, calendario et aliis locis debitis festum sancti Adalberti episcopi et martyris in crastino sancti Georgii annotetur, et de eo fiat officium sicut de sancto Urbano martyre papa, quando evenerit tempore resurrectionis.

Item. Mandamus et imponimus prioribus provincialibus Grecie et Terre sancte et sociis eorundem, quatenus singulis annis nomina et condiciones fratrum suorum deferant in scriptis ad capitulum generale.

Item. Volumus et ordinamus, quod nullus de cetero fiat prior vel lector, nisi sit sufficiens iudicio provincialium ad proponendum in populo verbum dei, mandantes districtissime prioribus provincialibus, quod omnem priorem vel lectorem insufficientem ad predicandum absolvant a suis officiis indilate, inhibentes prioribus provincialibus et conventualibus sub pena debita gravis culpe, ne aliquem fratrem ad audienciam confessionum exponant, nisi prius sit examinatus sollicitate et sufficiens inventus; mandantes prioribus provincialibus sub pena absolucionis, quod officium inquisitionis non committant nisi fratribus maturis, discretis et litteratis et in omnibus ydoneis ad tam salubre ministerium salubriter exercendum.

Item. Mandamus et imponimus priori provinciali Anglie et diffinitoribus capituli provincialis Anglie, quatenus cursum ordinem magistrorum in Kantabrigia penitus omissum, [et] studeant diligentius reformare, volentes et declarantes, quod sicut fratres provincie Ybernie ad magisterium in Anglia [promoventur] ita quoque contributionem per diffinitorem capituli generalis conventui Oxonie mittere teneantur.

Item. Volumus et mandamus priori provinciali et capitulo provinciali provincie Francie, quod circa fratres conventus Metensis nichil omnino ordinem vel disponant sine mandato magistri ordinis et licencia speciali.

#### **Iste sunt declaraciones.**

Declaramus hanc: Omnem fratrem assuetum ad quoscumque defectus debere puniri pena gravis culpe, sicut vult constitucio de assuetis ad silentii fractionem.

Item. Declaramus hanc, quod sicut imminente electione priorum non debent fieri mutaciones fratrum ante mensem electionem predictam precedentem immediate, nisi in casibus in nostris constitucionibus expressis, simili modo declaramus et volumus, quod non fiant mutaciones fratrum, privaciones vocum, absoluciones priorum a tempore noticie carencie provincialis in aliqua provincia usque ad noticiam confirmacionis eiusdem, nisi in casibus in constitucionibus declaratis.

Item. Declaramus hanc, quod officium beate virginis tempore paschali fiat sicut in aliis temporibus, additis congruis alleluia, et in matutinis dicantur tres psalmi primi nocturni cum antiphonis, ad magnificat: regina celi, et ad benedictus: beata dei, et collecta: concede nobis etc.

Item. Declaramus, quod de beato Procopio debent fieri tres lectiones octavo idus iulii, et fiat de eo, sicut de beato Mauro, et festum eius in calendario et aliis locis adnotetur.

#### **Iste sunt penitencie.**

In primis, quia frater Nicholaus Egozz provincie Theutonice solus sine socio fratre presumpsit venire ad capitulum generale, quasi fugitivus merito reputatur, ipsum volumus compelli per priorem suum ad faciendam penitenciam graviori culpe debitam per tres menses.

Item. Mandamus et imponimus priori provinciali et diffinitoribus capituli provincialis Lombardie inferioris, quod ipsi fratri sue provincie, qui non interfuit capitulo generali et tamen debuit interesse, nec tamen suam absenciam excusavit, imponant penitenciam gravis culpe, quam infra mensem a noticia presencium facere compellatur, volentes per eundem provincialem et diffinitores eadem pena plecti fratres omnes voces habentes in tractatu eorum, que ad generale et provinciale capitulum mittenda sunt, in illis conventibus provincie supradicte, qui socio caruerint isto anno, si tamen dicti fratres dicto tractatu interfuerunt vel interesse commode potuerunt.

Item. Fratres omnes fautores et complices illius rebellionis dampnabilis Trivisiis, qui in hoc culpabiles fuerint legitime deprehensi, volumus et mandamus per supradictos diffinitores conventibus remocioribus ipsius Lombardie inferioris deputari, pena gravioris culpe plus et minus iuxta exigenciam culparum inibi puniendo; quibus a carcere misericorditer parcimus ob reverenciam domini nostri ducis Veneciarum. Fratres vero alios, quos constiterit campanam dicti conventus ad suscitandam sedicionem populi cum martello pulsasse, carceri mancipari precipimus et mandamus in aliquibus conventibus Marchie Anconitane, quibus per sepe dictos diffinitores visum fuerit, assignari.